

1497

P O L E M I C I

1498

*Unum qui rite ponere possint.*

II. sequitur Διαγωγῆς quaedam mox dicti Libelli. *J'ai vû ce Livre qui consiste en un discours très mal conçu et très mal raisonné, de 8. feuilles in 8°. &c.* Verba sunt Bern. Monetae seu de la Monnoye, quae nunc leguntur in *Crucimanii Biblioth. supracit.* quae vero suo tempore nactus fuerit *Hobendorfus* ex Exemplo dictae *Bibliothecae* cum notis ms. *Monetae*. Exemplum istud demum in manus editoris *Rigolaei* (*Rigoley de Juvigny*) venit, ut memorat *Praefatio* dictae *Bibliothecae* p. 9.

III. Epistola Anonymi hoc initio: *Monsieur. La confiance que j'ai en votre probité et dans cette profonde erudition que le public reconnoit en vous avec justice, m'oblige à vous decouvrir librement quelques uns de mes petits scrupules, qui me sont venus dans mes heures de solitude sur les principaux fondemens de notre Religion.* &c. Ita suaviter palato se infinuat crambe *Incredulorum* toties recocta. Nihil adfert hic christianae Religionis impugnator, ad quod non saepissime et solidissime responsum esset. Sed nempe Responsum legere non vacat. Epistolam hanc cum pluribus ejusdem farinae Scriptis initio hujus Seculi ex *Hollandia* emeruisse credibile est.

IV. *Dissertation sur le Livre intitulé Le Moyen de parvenir.* Incipit: *Bien de gens croient, que le Livre, qui a pour titre Le moyen de parvenir, a été fait par un*

*Chanoine de Tours &c.* et est *Bernardi de la Monnoye*, inserta deinceps *Menagianis*, ubi edit. *Amst.* 1716. 12. legitur T. IV. p. 419. eo discrimine, quod in *Mf.* Auctor neget, *Franciscum Beroaldum de Verville*, qui *Le Moyen de parvenir* compilavit, *Canonicum Turonensem* fuisse; melius vero edoctus postea in *Edit.* illud adfirmet. Praeter hanc porro *Dissertationem de Vervillaeo*, pudendoque ejus Partu videri possunt *Niceronus* T. 34. p. 224. et *Clemens Bibl. Hist. crit.* T. 3. p. 215.

DCXLVI.

Codex chartaceus ital. Sec. X. H. 10  
VIII. Folior. 277. 4. maj. *Απογομφον* est impii Libelli *Lo Spaccio de la Bestia Trionfante* ex editione in 8. cujus Titulus ita procedit: *proposto da Giove, Effettuato dal confeglo, Reuelato da Mercurio, Recitato da Sophia, Vdito da Saulino, Registrato dal Nolano. Diviso in tre Dialogi, subdivisi in tre parti. Consecrato al molto illustre et eccellente Cavalliero Sig. Philippo Sidneo. Stampato in Parigi. M. D. LXXXIII.* Et *Απογομφον* quidem ipsi Exemplari impresso, quod mihi objacet, gemellum; nam et in utroque manu praescripti sunt i *Nomi di quarant' otto Constellationi*, et *Notulae marginum* eadem tam in *Edit.* quam in *Mf.* calamo adjectae

1499

CODICES

1500

jectae visuntur. *Nolanus* ille, ut norunt Eruditi, *Jordanus Brunus* est a Patria sua, ex illis ingeniorum portentis unum, quem post varios casus et peragrata *Europam* propter gravissimos scriptis ubique disseminatos errores *Romae* 17. Febr. 1600. pervicacem flammis absumtum narrat *Gasp. Scioppius* epistola eadem die ibidem data ad *Conr. Rittersbusium*. Egerunt de illo Scriptores pluri, quorum praecipui *Crozius* in *Entretiens sur div. Sujets*, *Baelius* in *Lex. Hist. Niceronus* T. XVII. *Clemens* in *Catal. hist. crit.* *Mazzuchellius* in *Scriptt. Ital.* unde actum non agam. Praesentium *Dialogorum* Argumentum allegoricum est *Jupiter* e coelo proscribens *Bestias*, id est, Nomina mythologica et Animalium Constellationibus indita (seu potius omnem Religionem revelatam) et earum loco Virtutes morales reponens; in decursu vero non pauca Deo, Christo, Religioni christianae, moribusque injuria insinuantur. *Londini* eos impressos fuisse nondum mihi plane persuasum, quamvis in *Epistola* praevia ad *Sidneum* mentio fit de *Bruni* in *Insulam Britannicam* adventu, nam et laus *Henrici III. Galliae* Regis p. 259. potius *Parisios* retrahit, et p. 249. ubi Autor *Lusitanum sollecito*, *Anglum curioso et avaro*, *Genuensem capo aguzzo*, *Hispanum tenace et stiptico* adpellat, caute a taxandis *Gallis* abstinet, qui tamen non minus illo tempore navigationes *Indicas* tentabant. Itaque facile illi

Exemplaria impressa in *Angliam* submitti potuere.

Dialogis his accedunt: I. *Varia Doctorum Virorum de Jordano Bruno Judicia*, et quidem *Epistola Job. Tolandi ad Illustrissimum Virum* ✠ ✠ ✠. qui est *Baro Hobendorffius* ipse olim *Codicis* nostri Possessor, data *Amst.* 1709. et impressa in *Tolandi Collection of several Pieces Vol. I. Lond.* 1726. p. 304. 8. quamvis non parum truncata hoc titulo: *De Genere, loco et tempore mortis Jordani Brunii*. Dein *Article de Jordano Bruno tiré du Diction. critique de Mr. Bayle, et des Additions*. Mox *Remarque historique et chronologique qui regarde ce Manuscrit*. Exemplar impressum, unde desumptum est, dicitur fuisse *Job. Tolandi*, compactum cum tribus aliis *Bruni* Libellis, de quibus postea, in theca pereleganti nigra *Angliae* Insignibus ornata, sed a vermibus arrosa, unde suspicio, *Reginam Elisabetham* procurasse Editionem, verum clam habuisse. Sed hoc infirmo talo stat, neque scivit *Observator* noster, unde *Tolandus* Exemplum istud haberit. Rursus *Job. Tolandi* *Epistola ad Hobendorffium* inedita et quidem gallice scripta et praecedente anterior data a *la Haye* le 19. Nov. 1709. in qua illi mox dictam de *Bruno* *Dissertationem* promittit, Argumentum *Libelli* de *Bestia triumphante* explicat, atque: *Il n'y avoit jamais que vingt exemplaires tirés, et je ne manque pas des bonnes raisons a croire, qu'il*

qu'il n'en reste maintenant au monde un seul que le mien. An salivam movere Baroni nostro voluit Tolandus? Certe, quemadmodum falsus est sub initium *Epistolae* asserendo, *Brunum*, antequam *Londonum* adiret, maximam *Europae* partem peragrassse, in pluribus *Academiis* docuisse, plures libros lat. et ital. vulgasse, ita et hic fallitur; praeter *Exemplar* enim, quod mihi objacet, plura enumerari videas in *Clement Bibl. cur. hist. crit.* T. V. p. 304. Pergit ille: *Ces Messieurs* (*Jordanus*, *Sidnejus*, *Grevillius*) *garδοient si bien le secret entre eux, qu'aucun ecrivain d' Angleterre n'a jamais fait la moindre mention de ce livre qui étoit tout a fait inconnu aux curieux, jusqu' a ce que je l'eusse enfin tiré de son cachot. Depuis l'année 1696. que je le decouvris, je l'ay montré a plusieurs par tout, ou j'ai été, sans en avoir jamais donné une copie. &c.* En igitur *eximium Hobendorffium*, cui, incertum quo pretio, haec fors obtigit. Claudit agmen *Epistola J. Vinc. Gravinae Abbatis*, quae ad *Jordanum Brunum* et *Opera* ejus pertinet, scripta *Romae VII. Kal. Februarias MDCCX.* ad eundem, quam, cum inter *Autoris Opuscula* a *J. B. Anciono Eugenio Sabaud.* cum honorifica *Hobendorffii* mentione dicata *Traj. ad Rhen.* 1713. 8. non reperiam, hic adjicio: *De Jordano Bruno*, quod quaeris, accipe. *Nolanus* is fuit *Dominicanae familiae monachus*, qui ab *Aristotele* transfugit ad *Pythagoram*, contraque *scholarum*

*Denis Codd. Theol. V. II. P. II.*

*sordes in aurei saeculi elegantiam commutavit, opere suo Lucretium, immo et Parmenidem, vetustioresque sapientes imitatus, qui mortalia eorum inventa, ut attollerent, sermone Deorum immortalium, linguaque Oraculorum, nempe Poesi proferebant. Latinis enim versibus plura conscripsit, quibus oratione soluta explicationes subjecit: quo de fonte autumant hausisse Cartesium sua, quod nos aegre concessimus. Siquidem, ut argumenta rerum sumserit, et sententias veterum Pythagoreorum in illustriorem lucem a Jordano revocatas, utque Cartesius tetenderit eodem; iter tamen suum instituit alia prorsus via. Etenim Cartesius non tam rerum, quam rationis atque ordinis, nexusque novitate praecellit, et praesertim perspicuitate, quam Jordanus Auditorum suorum exemplo velamentis numerorum obumbravit. Plura ipsius opuscula sparsim edita reperire non alibi licuit, quam in Archigymnastii nostri bibliotheca, quae beneficio Pontificum celeberrimos Urbinatum Ducum codices impressos excepit. Totis ille voluminibus veteri Philosophorum fastu contemnit humana, utinam non et diuina! Extat inter haec perexiguus, sed multi ponderis libellus vernacule scriptus, occurruntque per ejus opuscula plures vernaculae cantiunculae philosophiae luminibus mire coruscantes, referentesque priscam italiei stili majestatem. Dum tamen saepe ac diligenter ejus opuscula pervolverem, nunquam, quod meminere, occurrit mihi liber abs te indicatus:*

B b

Spac-

Spaccio de la Bestia, nisi ejus exemplaria undique fortasse collecta cum auctore capitis damnato, ignique tradito conflagrarint. Siquidem periit ille pari cum aliis multis ejus aetatis eruditissimis Itolorum infortunio, qui cum exteris sacrae auctoritatis hostibus clam coiverunt, quique philosophiam cum religione componere minime sategerunt, studiaque sua magis ad evertendam sacerdotum dominationem, quam ad fructum literarum, nempe ad tranquillitatem sibi procreandam non minus impie, quam stulte detorserunt, inermes ausi quod armati perborrescunt. Alterius libri: De tribus Impostoribus tantum titulum turbandis animis prodisse arbitror, cum neque in illum, neque in testem illius aliquem oculatum unquam inciderim.

Commentetur Lector, ut volet, in hanc Epistolam; ego id solum noto, perexiguo illo sed multi ponderis libello vernacule scripto innui fortasse ab Gravina Opusculum Bruni, cujus Titulus: *Cabala del Cavallo Pegaseo. Con Paggiunta dell' Asino Cillenico. Descritta dal Nolano: dedicata al Vescovo di Casamarciano. Parigi, appresso Antonio Baio, Anno 1585.* 8. minimae enim molis est inter vernacula Bruni, totum non nisi pagg. 94. constans. Dedi ex Exemplo mihi adjacente Titulum accurate; nam defuit is in *Valleriano*, cujus cetera διαγνωσις habes in ejus *Biblioth. Catalogo* T. II. p. 740. ut adeo jam queri non possint *Niceronus* et *Clemens* supracc.

Philosophatur et nugatur in III. his *Dialogis* more suo de *Afino Brunus Apulejo* et *Luciano* non infelicis, neque religiosius posteriore. In Epistola dedic. ad sic dictum *Sapatinum* Episcopum *Pii V.* meminit, a cui consecrae *l' Archa di Noe*, quod Scriptum procul dubio fatyricum apud neminem video, qui *Libellorum Bruni* numerum inivere, quos inter praecipuus *Mazzuchellius*. Ceterum *Gravina*, a quo digressi sumus, Nostrum etiam in Opusculo de *Conversione Doctrinarum* edit. *suprac.* p. 367. in choro Philosophorum ita inducit: *Prodiit Nola Jordanus Brunus, Florentia Galilaeus, e Britannia Verulamius, e Dania Copernicus, e Gallia Gassendus, ac denique Cartesius.* Copernicum *Borussopolonum* norunt lippi et tonsores. Itaque *Tych. Brabaeum* fortasse cogitabat Noster oscitantia digna, quam in *Philodemo* castigaret *Seftanus*.

II. miro consilio subnectuntur Epistolae Prooemiales et Argumenta trium *Bruni* Libellorum *διαλογικων*, videlicet *della Cena delle Ceneri* s. l. 1584. 8. *del Trattato della Causa, Principio, et Vno, Venet.* 1584. 8. et *del Trattato dell' Infinito Vniuerso et Mondi, Venet.* 1584. 8. descriptae ab Exemplis impressis et dicatis *Michaeli di Castelnouo* (*Castelnau*) *D. di Mauuiffier* Gallico ad *Elisabetham* Anglam Legato, cujus Viri habemus *Memorias*.

III. demum adscripti sunt *Verficuli* lat. et ital. quos praedictis Libel-

1505

P O L E M I C I.

1506

Libellis addidit *Brunus*, quibusque, saltem in Parnasso, subfellium non meruit.

DCXLVII.

E. 10 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 233. 4. maj. est Pars I. Operis inediti *Joannis Bodini Andegavens.* quod inscribitur: *Colloquium Heptaplomeres* (Ἑπταπλος et Μεγος, non tamen dictum a VII. *Libris*, quod putavit quidam, cum non nisi VI. sint, sed a VII. Collocutoribus) *de abditis sublimium rerum Arcanis.* Titulus, ut mos Veteratorum, ad alliciendo Lectores comparatus. Agitur vero in hoc *Colloquio* inter *Paulum Coronaeum* Catholicum, *Frid. Podamicum* Lutheranum, *Ostav. Fagnolam* Mohammedanum, *Hier. Senamum* Epicureum, *Ant. Curtium* Calvinianum, *Salom. Barcaffiam* Judaeum, et *Didac. Toralbam* Philosoph. naturalem de Religionibus, et ita quidem, ut Christiani (*Bodiniani* nempe) ceteris et praecipue Philosophiae naturali et Judaismo palmam cedere videantur. Autor aliis Scriptis notus, verum in hoc eruditione sua maxime abusus perfecit illud a. 1588. aetatis 63. inde autem vitam produxit ad a. 1596. De morte ejus varii varia. Postquam vivens inter Catholicos, Reformatosque fluctuasset, sunt, qui Judaeum, sunt qui nulli religioni addictum obiisse tradunt. Refert haec plenius *L. Jo. Diecmannus* in *Schediasmate de Naturalismo cum*

*aliorum, tum maxime Jo. Bodini* recuso *Lips.* 1684. 12. ubi et *Opus nostrum* impugnat, quemadmodum *Pet. Dan. Huetius* ante ipsum in *Demonstr. sua Evangelica Paris.* et *Amst.* saepius edita praestitit. *Diecmanni* *Schediasma* recensuere *les Nouvelles de la Republ. des Lett.* mense Jun. 1684. p. 343. Adi etiam, si lubet, *Niceroni* T. XVII. p. 264. In quodam *Cod. nostro ms.* ex ore *Gabr. Naudaei* haec referuntur: *Guillaume Postel donna des memoires a Bodin, sur les quels il fit son Heptaplomeres. Ces memoires venoient d'une certaine Academie de quelques scavans Italiens, de la quelle Postel estoit le greffier.* Similia *Diecman.* p. 9. Pars nostra I. terminatur cum *Libro IV.*

Pars II. Folior. 247. reliquos duos *Libros* complectitur, et ad calcem habet: *Finis H. E. J. B. A. S. A. Æ. L. X. III.* Legendum fortasse: *Hic est Job. Bodini Andegavensis suae anno aetatis 63.* Historiam propagationis perniciosi hujus Operis, cujus *Απογοεαφον* a *Bodini* Heredibus ad *Henr. Memmum* *Parlam.* Praesidem devenisse dicitur, texuerunt Autores supra adducti. *Hugoni Grotio*, qui suum de eo promit judicium in *Epistola* 166. inter *Epistt. ad Gallos, Lugd. Bat.* 1650. p. 406. commodavit a. 1634. *Job. Cordesius.* *Cbristina Suecica* diu quaesitum tandem invenit. Sumtum inde *Απογοεαφον* vidit *Paul. Colomesius* in *Bibliotheca Brioti.* Atque hinc urgente ex una parte *Literato-*

B b 2